Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35421
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Iudica me deus et discerne causam meam de gente non sancta ab homine doloso et iniquo quia tu es deus fortitudo mea quare me repulisti et quare tristis incedo dum affligit me inimicus. Emitte lucem tuam et veritatem tuam ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua. Introibo ad altare dei ad deum qui laetificat iuventutem meam. Confitebor tibi in cithara deus deus meus quare tristis es anima mea et quare conturbas me. Spera in deo quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei et deus meus. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Introibo ad altare dei ad deum qui laetificat iuventutem meam. Adiutorium nostrum in nomine domini qui fecit caelum et terram. Confiteor deo omnipotenti beatae Mariae semper virginis beato Michaeli archangelo beato Iohanni baptistae sanctis apostolis Petro et Paulo omnibus sanctis quia peccavi nimis cogitatione verbo et opere mea culpa mea culpa mea culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem beatum Michaelem archangelum beatum Iohannem baptistam sanctos apostolos Petrum et Paulum omnes sanctos orare pro me. Misereatur tui omnipotens deus et dimittat tibi omnia peccata tua liberet te ab omnibus malis custodiat te et perducat te in vitam aeternam. Amen. Indulgentiam absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors dominus. Amen. Deus tu conversus vivificabis nos. Et plebs tua laetabitur in te. Ostende nobis domine misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne deus qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari quaesumus ut desiderata nobis tua propitiatione abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per dominum nostrum. Lectio libri Apocalipsis beati Iohannis apostoli. In diebus illis: Ecce ego Iohannes vidi alterum angelum descendentem ab ortu solis habentem signum dei vivi. Et clamabat voce magna quatuor angelis quibus datum est nocere terrae et mari dicens. Nolite nocere terrae et mari neque arboribus: quoadusque signemus servos dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor milia: signati ex omni tribu filiorum israel. Ex tribu iuda: duodecim milia signati. Ex tribu ruben: duodecim milia signati. Et tribu gad: duodecim milia signati. Ex tribu aser: duodecim milia signati. Ex tribu neptalim: duodecim milia signati. Ex tribu manasse: duodecim milia signati. Ex tribu simeon: duodecim milia signati. Ex tribu leui: